

Num. VII.

In nomine Ste. et indiuidue Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus christi fidelibus, quomodo fauente diuina clementia fratres cenobii Sti. *Oudalrici* et St. *Afye* predium in *Roudilinga* a) situm cum omni iure qua illud *Roudolfus* comes de *Braginza* b) et *Burchardus* de *Byrnone* c) cum filio suo eque *Burchardo* possederunt, in ius et possessionem ecclesie predictorum sanctorum ducentis marchis argenti ab eis comparatam acquisierunt. Quam nimirum pecuniam venditis quibusdam eiusdem ecclesie allodiis collegerunt, inter que hec duo videlicet *Goggelingen* quod quidam nobilis *Adalbertus* nomine eidem loco pro remedio anime sue donauerat et mansus vnus, quem in villa *Bergen* *Arnoldus* de *Mantichinga* tradiderat precipua extiterunt, quorum vnum nonaginta alterum xx. marhis venditum materia et principium dicti negotii fuerunt. Qua propter ab ipsis fratribus in commune decretum est vt horum nomina *Adalberti* scilicet et *Arnoldi* his litteris mandarentur quatenus eorum memoria per hoc vtile commercium posteris salubriter commendaretur. Alia vero predia que huic cause subsidio fuere, aut feudata erant vt nec honorem vel obsequium ecclesia inde haberet, ac sic modica et inuutilia vt eorum sterilitas non magnum si describeretur audientibus fructum conferret. Praefati ergo predii traditione accepta supradicte quantitatis dimidia pecunia comes *Roudolfus* de *Braginza* cum *Burchardo* de *Byrnoue* et filio eius *Burchardo* in manus *Berhtoldi* de *Routenbach* in loco qui dicitur *Ruten* delegauit. Altero denique persoluto argenti centenario *Berhtoldus* de *Routenbach* qui hanc delegationem interim reseruandam acceperat sine omni contradictione in ecclesia augustensi ad altare S. *Oudalrici* fratribus Deo ibidem militantibus cum omni iure diuine et humane legis

legis tradiderat. Huius rei testes sunt. *Kounradus* frater *Fride-
rici* ducis. *Gerardus comes*, *Werinherus* aduocatus eiusdem ec-
clesie. et *Werinherus* filius eius. *Kounradus* de *Walerstein*. *Otto*
de *Richen*. *Egino de Toureheim*. *Adalbertus* de *Rammungen*. Sub
testibus his *Dietpottus comes* de *Bergen*. *Hartmannus comes* et fra-
ter eius *Eberhardus eques comes* de *Kirichberch*. *Enest* de *Stuzzelin-
gen*. *Gerolt* de *Grundesheim*. *Gerolt* de *Sulenchart*. *Heinricus* de
Steige. *Berthold* de *Richehouen*. *Kounrat*. *Helemwic*. de *Rieden*. *Adal-
bertus* et *Rudiger* de *Hage*. Acta sunt hec anno dominice incarna-
tionis M. c. xxvii. Regnante *LOTHARIO* secundo. *Herimanno*
episcopo *Augustensi*. *Oudalschalcho* prefati cenobii solo nomine
Abbate qui et huius cause minister et cooperador fratrum suo-
rum extitit et hoc priuilegium propria manu scripsit.

a) *Riedlingen* ad *danubium* haud procul a *Werdea*.

b) *Rudolfus Comes Brigantinus*, qui in diplomate *Conradi III.* quo
Monasterii Salem foundationem anno 1142. confirmauit, inter testes
inuenitur. V. *Hergott Genealog. diplom. Vol II. p. 168.*

c) de *Birnau*.
